

mensem Saxoniam primum ingressus sum, bonosque inter Lipsienses jam aliquot dies maxime utiles consumpsi. Museis inprimis Mineralogicis scatet urbs. Fodinæ Saxonæ & Bohemiæ restant mihi visitandæ, ideoque intra aliquot dies amicos hujus loci relinquere cogor. Deinde e Saxonia per Hercyniam Hafniam peto, unde post aliquam quietem Sveciam & Norvegiam visitare aggrediar. En papilionem inclusam Danaum Asiatico simillimum nisi noster alis gauderet concoloribus, quæ in asiatico (nomen non in mentem venit) subtus sunt flavæ. Volitat in mense Septembris & 8bris in montibus Banati Temesvarici Wallachiam adjacentibus. Volatus tardus, quiescit alis patulis, expansis.

Obs: Montes sunt in territorio Turcorum, ab altera parte Danubii sito, Moldovam inter & Berzaskam Columbatsch dicti, hi videntur ad littus Danubii ubi sunt siti. Foramina v. cavitates habent amplissimas et, ut fertur, profundissimas. Nemo ascendit unquam ob præcipitium & altitudinem. Secundo fluvio iter feci usque ad Orsovam Turcorum, in quo itinere vidi circa has montes ingentes aquilarum & accipitrum cohortes, semper circumvolitantes. Ex his cavitatibus credunt incolæ prodire muscam quæ ob sequentia maxime est particularis:

Mense Aprilis & Maji cum vento australi veniunt nebulæ quasi harum muscarum, quæ boves aggrediuntur tanta copia et tanto veneno ut intra horæ vel duarum horarum spatium bovem occidant, nisi in vicinio sit domi, ubi accurrentibus bovis focum faciunt Valachi, et ita circumstantes boves fumo ab hostibus liberantur, fumus nempe eas arcet.

Misit Imperatrix medicos ut inquirerent ulterius hujus plagæ naturam. Sed proh dolor! viri hi nunquam ad alias attentæ muscas quam eas, quæ naso forte eorum insederant aliquando, nil observarunt; cute bovis detracta narrant apparuisse maculas quasdam flavas, in naribus boum quoque dixerunt hæsisse aliquot muscas. In aperto cadavere cranio &c. nil observarunt. Muscam hanc non vidi utpote tardius adveniens; mihi autem describebatur minima, forte e genere